

A. D. A. M.

IX.

Ad

**SANCTIORA  
CHRISTIANORUM  
PALILIA,**

Declamationibus aliquot Scholasticis  
concelebranda,

Proceres Altenburgensium Eminentissimos,  
Perillustres Aulae Purpuratos,

Magnificos Musarum elegantiorum Tutores,  
Antifites Sacrorum Perreuerendos,

Omnesque ac singulos Rei litterariae Fautores,  
demisse, officiose et perhumaniter  
inuitat


**CHRISTIANVS FRIDERICVS VVILISCH,**  
Illustri Gymnasii FRIDERICIANI Director.

ALTENBURGI

Excursus Io, Ludov. Richter, Typogr. Aul.







כ"ט

**Q**uae caeco quondam et inani profus Deorum cultu trahatur, superstitiosa Romuli profapia, innumeris prope modum sacris variisque diebus festis mirum quantum superbiebat. Quare si festorum \*) multitudinem ac frequentiam metiri pietatem nobis liceret, non dubium fore crediderim, quin omnibus, quaqua patet terrarum orbis, gentibus aliis, iisque cultioribus, palmam sanctimoniae pietatisque prae-riperent Romani. Placet hic ex tanto eorum numero recensere saltem PALILIA siue PARILIA. Sic enim pro diuersa originum ratione, diuersam quoque scriptitandi rationem amant eruditi sagaciores, nondum tamen inter se hac de re plane conuenientes. Nam qui PARILIA, et scribi et pronuciari malunt, quos inter est MARIUS VICTORINVS, a *pariendo* nomen suum habere PARILIA clamitant, ideo quod eo tempore, quo magna vbiuis pompa celebrari haec solebant, *animalia, satia, arboresque acerbae* parturiant, scilicet sub amabilem illam totius naturae annique renascentis infantiam, cum niue discussa aperiri humus coepit, cocloque ac soli fegetes redduntur, auibuscumque restaurantur nidi, quibus pulli postmodum reponantur. Nam praestitutus his PARILIBVS festis destinatusque more patrio erat penes Romanos dies ante Calendas Maias vndecimus, quo eodem temporis tractu vrbis etiam ROMAE iacta \*\*) fuisse fundamenta creduntur, indeque PARILIA et dicta et peracta hac die fuisse autumat JANVS GRVTERVS noster ex SERVIO in VIRGILII L.III. Georg. quod ea die ROMVLVS velut pepererit tantam nominis sui vrbem. Hinc CAIVS CALIGVLA, turbidus animi et impudicus AVGVSTI pronepos, ac vel in pace olim semper metuendus Romanorum Imperator, primum sui imperii diem, teste SVETONIO, voluit PARILIA vocari, velut in vrbis de nouo conditae argumentum. Equidem alia adhuc suppetit ratio, ob quam PARILIA dicta haec sacra fuerint. Nam alia quoque erant PARILIA, quae a puerperis obseruari magna-

Thef. Crit.  
T. VI. P.  
1048.

in vit. Cal.  
c. 16.

\*) conf. Petri Morestelli Alypius f. de *Feris Romanorum* liber, 10. Georg. Graeuii Antiqui Rom. Tomo VIII. p. 391. innexus.

\*\*) *Constantii Landii* Exposition, Numismatum Selectiorum, praecipue Romanorum p. 115.



que religione coli solebant, prout ex FESTO ita exponit IOSEPH, SCALIGER, PARILIA, inquiens, *sibi observanda indicant priuatim ipsae quoque puerperae domi in stratis, ut pariendo ab iis quasi stabiliantur Parilia festa.* Vnde non incommode suspicari possemus, PALILIA a PARILIBVS fuisse distincta, ita vt illa a PALE, haec a PARIENDO dicta: illa a pastoribus pecudum, haec vero a grauidis atque parturientibus pro feliciori partu fuerint celebrata. PALES autem DEVS vel DEA, (nam neque de hoc inter eruditos satis conuenit,) pabulo curando praefuit apud veteres, eique sacra facta sunt solenni ritu, ad lupos arceos morbosque a pecore pellendos, itemque pro partu et reliqua pecudis incolumitate nec felici non pabuli prouentu. Quanta igitur huius diei fuerit celebritas, et quibus caerimonis peragi olim consueuerint haec sacra, prolixè satis decantat OVIDIUS, infelix admodum felicissimi ingenii vates, vnde THOM. DEMESTERVS, Romanarum Antiquitatum, a Io. ROSINO quondam collectarum, amplificador dexterrimus, haec decerpit: Primum iuffimen erat conficiendum ex vituli fauilla, sanguine equi et fabae culmine: deinde primo diluculo pastor lustrabat oves, et ouilia ita vt inspergeret oves aqua, et sulphure herbaque Sabina et lauro igne succensis circum circa ouilia suffiret, quo suffimento peccora piari, morbos depelli et tabem putabant. Deinde sacrificabatur PALI Deae libo ex milio, lacte et sapa confecto, tum preces ad eam fiebant.

L. V. E.  
mend. p.  
362.

Nieuport.  
de Rit.  
Rom. p.  
166.

L. IV. Fast.  
v. 721.  
L. IV. p.  
588.

Sed quid ad nos ethnicorum PALILIA? qui licet abundarint Deorum cultu et in excogitandis diebus festis fuerint sagacissimi, caligarunt tamen in caetera, et crassissima rerum vere diuinarum ignorantia fuerunt obuoluti. Interim et nobis hic sunt PALILIA. Equidem hic dies, haec tempora non conueniunt nostris PALILIBVS, cum caelum non vernat, sed aspero admodum et inclementi ingenio adeo confringit terram, vt foeta furentibus Austris Aeolia et natale Aquilonis domicilium hic possit videri. Nondum enim soluitur hiems acris grata veris et fauonii vice, nec in latum emittuntur pecudes campum, sed stabulis adhuc gaudet pecus et arator igni: cauae perennibus pruinis siluae, obducti glacie colles, gelu obsessae valles, aggesti niuium montes, et vt paucis plura dicam, quaqua respicias, facies rerum horrida atque tetra. Vnde igitur laeta nobis PALILIVM solennitas? Vtunque tamen sit, vel inter asperrimae, si qua vnquam alias, hiemis fremitus sanctiora nobis parantur PALILIA, quibus oves nostras lustrare, ac pro earum incolumitate pabulique feliciori prouentu, hoc est, pro exoptatissimo pietatis virtutumque ac litterarum incremento, nuncupare vota ad omnes aras suscipiemus. Materiam huius pietatis et occasionem suppeditabunt nobis felicissimi pastores, quibus inter ipsas Natalitiorum CHRISTI vigiliis diuinior illa et caelestis



caelestis plane lux concessit PALILIA, quosque ad sacra, recens in aeternam totius generis humani salutem prognato puerulo rite facienda, inter mentium piissimarum tripudia, caelesti aliquo nuntio excitauit. Haec omnia demirari, haec praedicare publicis aliquot declamationibus tentabunt iuuenes ex coetu nostratum, quos pius ardor et laudabile vires suas in palaestra eloquentiae periclitandi institutum maximopere commendat, nostrae deliciae, spes optimorum Parentum eximia, et hoc quidem ordine

- I. IO. GEORG. KOCH, Wurzena-Misnicus,  
*de humili et abiecta sorte pastorum;*
- II. IO. GOTHOFRED. PETRI, Lumzigensis,  
*de dignitate Pastorum, imprimis apud Ebraeos;*
- III. IO. FRIDER. RITTER, Dresdenfis,  
*de Claris magnisque viris ex humili et depresso bubulcorum casa prognatis;*
- IV. IO. GOTHOFRED. DOERFFEL, Oelsnitio-Varifcus,  
*de Pastoribus CHRISTI natiuitatem cum tripudio admirantibus;*

lingua eruditorum vernacula omnes sermonem e prompta memoria habebunt. Quodsi autem *Dionorum* non solum *templa consieri*, in quibus *essent statuae Principum bonorum*, sed *iisdem quoque natalibus suis*, et *Parilibus*, et *Calendis Ianuariis*, *voctis libamine poni iussit Tacitus*, Imp. Rom. vt est apud *Flau. Vopiscum*, cui inter *Scriptores Historiae Augustae* sextum eumque postremum adsignant locum; vel latum vnguem cessisse gentilium pietati in suos Principes, nostrumque inter haec nostra Parilia PRINCIPEM bonum, imo optimum, eiusque Purpuratos in salutato et sine pio votorum libamine reliquisse, nobis non erit integrum. Quare FRIDERICO nostro Serenissimo, Pio, Felici et incomparabili PRINCIPUM, Domino nostro Clementissimo, aeternum deuotissimi gratissimique pro tot collatis haecenus in nos beneficiis animi exfruere statuam, piis votis piisque precibus suffultam, nomine omnium commilitonum iustus est,

V. IO. GEORG. BVRCKHARDT, Gothanus, patriae suae tam nobilis et praeclarae non immemor adolescens; Ad eiusdem vero, tanti PRINCIPIS, Purpuratorum Mecaenatumque reliquorum omnium statuas, velut ad aras pia concipere vota deuotique animi tesseris iis appendere, et laudes tantorum in toga et sago Heroum, laeti omnis causa, decantare pro virili sustinebit iuuenis, ad paternas laudes propagandas prognatus,

VI. IO. CHRISTIAN. STERN, Altenburgensis, Et sic laeta laetantibus nobis transigentur PALILIA. Sacris vero his apud gentiles peractis, aqua spargebantur pastores, coenae adaptabantur lautiores, et inclinato in vesperam die a rusticis excitabantur ex stipulis ignes, quorum positas in ordine flammis ter consueuerant transilire. Nos si inter frequentes gratiose ac beneuole audientium coetus feliciter haec transegimus sacra, ignes gratae mentis Tibi, L. H. in perpetuum vel nomine nostro collucebunt. P. P. Non. Ian. A. O. R. clbcccxl.

MC



F.H. 134  
26

II c  
1437

*De Paliliis seu Pariliis Veterum*

A. D. A. M.  
IX.  
Ad

# SANCTIORA CHRISTIANORUM PALILIA,

in honorem  
in quibus aliquot Scholasticis  
concelebranda,

Altenburgensium Eminentissimos,  
ceterosque Aulæ Purpuratos,

Præceptorum elegantiorum Tutores,  
et Sacrorum Perreuerendos,

et singulos Rei litterariæ Fautores,  
ad hoc, officiose et perhumaniter  
inuitat

FRIDERICVS VVILISCH,  
Gymnasia FRIDERICIANI Director.

ALTENBURGI  
in Io. Ludov. Richter, Typogr. Aul.

